alis comprahensam fuisse. Duisburgi quum una uiueremus, primum hic noster
Cassandro sese adiunxit. superuenit Plesdickius. Hi tres praeter alia (quae Cas:
sandro multa fuere) accurate magnoque zelo defendebant, indignum fuisse fa:
cinus Geneuensis senatus, qui serueto (cani impudentissimo) capitis sup:
plicium inflixisset. Neminem pro ulla haeresi mactandum. Caluinum scilicet
Cassander petebat. Hic noster hoc Dilemmate me [illegible] urgebat. Aut obdurat haereticus,
aut resipiscit: si obdurat, immolatur Diabolo uictima, sin resipiscit, erit in posterum uti:
lis Ecclesiae. respondi, eodem syllogismo Latronem Iudiciis eripi, et Magistratui
gladium e manibus extorqueri. Scripsit non multo post Vbeierus doct. de praestigiis
demonũ. Non iugulandas esse sagas, aut Veneficas. errore mentis eas duci, neque ea
designare, quae se perfecisse confiterentur. Hoc dogma noster continuo arripuit, coepitque
acerrime tueri. nimirum ex eodem fonte oriebatur. restitimus ei Mercator et ego mul:
tis altercationibus. exarsit homo multo magis, impulitque doctorem illum, ut praes:
tigias e Latinis germanicas faceret, Senatuique Bremensi dedicaret, pro eo honore
quinquaginta daleros auctor accepit, fuitque hic plerisque persuasum, incidendum hunc
ciuilis disciplinae neruum. ut maleficiis impunitas concederetur. Quam rem et in
urbe noster: et in agro apud Nobilitatem urgere nunquam destitit, donec Erastus
uester iam receptum errorem iugulauit. Quem ut cognouit Theses quasdam Eccle:
siasticae disciplinae opposuisse: repente omnem animi sui impetum a praestigiis ad Theses
traduxit. has exosculatur, et uenditat, de his loquitur in congressibus, in conuiuiis:
de his ipsis scribit. bulligero, Gualtero, pinciero, et quibus non. Tum si quid illi
magni nominis uiri ex ipsius uoluntate responderant, circumfert, ostentat, obtrudit.
Scilicet ut his praesentibus antidotis pharisaicae Tyrannidis pestem (sic enim uocant)
ab Ecclesiae nostrae uisceribus quam longissime depellat. Et quis nunc dixerit eiusmodi
Medicos πολυπραγμονεῖν qui tam authenticis et e longinquo petitis remediis, cor:
ruptissimos hominum caetus, ab ista noua et ante hoc tempus inaudita contagione prae:
seruant. Bremae [illegible] 23 augusti 1573

Pax Christi. M. Jacobo Commelino. Emdae.

Nr. 231)

[z Moer. a. 12: Nr. 213]

Quae scripseras suauissime Commeline: omnia cum literis accepi. De tabulis optime fac:
tum est. quidquid inde conflatum est, deputamus in lucro. Tabellarius heri spirae re:
diens Mylii expectatas literas reddidit: sed illae nihil nunciant dignum commemo:
ratione, nisi hoc quod iamdudum ad aures uestras peruenit, creditu difficile, certu
tamen. 15. Plaustra sathanico puluere onusta, quae a Maiestate ad suffetium
Patriae nostrae Alastorem trahebantur, de caelo tacta, (caelum enim ubique est, ut
sophistae praedicant) horribili spectaculo conflagrasse. ὡς ἀπόλοιτο καὶ αὐτὸς
ἐπεὶ τοιαῦτά γε ῥέζει. Ad Euwichii Literas non respondit, grauioribus Ecclesiae cu:
ris distentus. Si quid scripserit posthac: sentiet cicadam alis comprehensam fuisse.
Dathenus in Hollandiam uocatus est, ad Ecclesias constituendas. Talem belli
euentum [illegible] speraueram quidem. Gratias ago Deo qui ex patriae nostrae ruinis amplificat

Filii sui regnum. O si ut multiplicat populum: ita pariter recreet aliquando Evangelii successum et reficiat eorum corda, qui veris poenitentiae fructibus Evangelii successum metiri solent. Sed tamen labor non erit inanis: sint omnia deformata scandalis, et modo non oppressa: Ex multis paleis vel exiguus tritici numerus colligetur. Quid facias? Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas. Experimur in scholis, quanti referat Legibus poenisque vinciri multitudinem. Sed obruit nos interim pertinacissima tempestas patrii moris, et ex popularibus conventiculis in scholares coetus confusio redundat. At quimus, aiunt, singulare beneficium Divinae bonitatis est, quod τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον νέφος τῆς ἀταξίας temperata moderatione premimus habenas procacis et efferae iuventutis. Mea coniux moleste fert gravari nos alendis aliorum liberis opulentioribus cum dispendio rei et famae. Sciunt parentes duplicatis omnium rerum pretiis nos effugere damnum non posse: dissimulant tamen, neque sublevant vel honorario Epistolio, sibi suisque laborantem. Nuper quidam popularium meorum, cuius filius 12 daleris apud nos alitur, homo satis (quod scio) nummatus, stomachabatur per epistolam, quod grossos tres fornacis Scholasticae nomine, pueri rationibus adscripsissem. Id voluit, iam mihi aetatem (ut assolet) attentionem acuisse, et minutias me consectari praeter decorum. Non intelligit ille quum alios instruat: hoc meum summum beneficium longe aliis elogiis dignum esse. Unum cognoris: omnes noris. Videt uxor satis me in schola deteri: nisi etiam domi consumar. Ergo fatigatam crebro mihi personat aurem. Solve senescentem mature sanus. Notum tibi est carmen. Extra iocum nisi remunerent parentes liberalius necessitas eorum liberos domum remittet. Claudii filius eget novo vestitu in hyemem. Plane lupum (quod aiunt) auribus teneo. Vale cum Hortensia tuo animo charissima. Bremae Postridie Martini. 1573. Johannes Molanus tui semper studiosissimus.

Nr. 232)

Pax christi

M. Jacobo Myllio [?] de thesibus Erasti Heidelbergae.

Bremensia T. II. p. 607

[= Mscr. A. 12. N. 214]

Quam vellem et Thesibus istis olim accidisset: quod de huius Epistola memoras. Abunde satis erat dissidiorum et distractionum: etsi hoc hulcus nemo tetigisset. Nec adstringitur (ut opinor) in ulla Repub. aut ullo sub axe, tam arcta disciplinae asperitas, ut eam necesse esse (quis credat?) doctissimorum hominum propositionibus relaxari. Experimur in scholis miseri moderatores a Magistratu neglecti, quanti referat legibus poenisque vinciri multitudinem. Ea res facit ut Ecclesiasticam εὐταξίαν debilitari a quibus minime par fuit, iniquius feram. Scilicet e popularibus scandalis, in scholares coetus quotidiana confusio redundat. ut mihi nihil sit in meo munere operosius: quam vel temperata moderatione habenas premere protervientis et efferae iuventutis. Sed mihi quoties hos canos meos aspicio recreatur animus ac reficitur cogitatione rerum aeternarum, quarum a fructu non iam possum longius abesse. Intelligo dilecte frater et te quoque magnum onus in tanta celebritate sustinentem: nonnunquam gravius commoveri, haerere etiam interdum, et animi dubium esse. Equidem cā-